CL. ESPENCAEI

THEOLOGI PARISIENSIS, MEDITATIONVM IN hoc ſacro & ciuili bello

ELEGIA.

EVCHARISTIA.

AENIGMA.



PARISIIS,

Apud Federicum Morellum, in Vico Bellouaco, ad Vrbanam Morum.

1563.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Priuilegij ſententia.

CAVTVM eſt autoritate Franciſci II. Francorum Regis, ne quiſquam alius, ante decennium ab irrogatione Priuilegij proximum, Opera vlla Claudij Eſpencæi Theologi Pariſienſis, excudat, néue uendat, præter eum Typographum cui excudenda Autor ipſe dederit. Qui ſecus fecerit, libris, & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Aureliis irrogatum XXI. Nouembris, Anno M. D. L X.

Per Regem, Cardinale Lotaring. præſente.

ROBERTET.

CLAVDII ESPENCÆI

THEOLOGI PARISIENSIS,

Meditationū in hoc ſacro & ciuili bello Carmen:

AD

D. CHRISTOPHORVM DE THOV Pariſienſis Senatus Primum Præſidem.

DVM mala PARISIO *peſtis ſpatiatur in agro,*
Falce velut rigida proxima quæque metens,
Quáque fugat, MAVORS *in ea me diſtinet vrbe,*
Quem per amœna iuuat ciuicus arua cruor:
Dum furit iſte foris, intus depaſcitur illa,
Peior vt ignores illa, vel illa lues:
Sæuit & indocilis væſana licentia vulgi,
Iudice quo leges ſanctáque iura ſilent:
Cui quondam armiſonum, nunc numen inerme, furēti
Cedit, & ad tantum cogitur vſque metum:

Vt non rara suis miscentem incendia chartis
Loripedem PALLAS *spectet inulta deum:*
ibro.de *Digna quidem flammis læsi rea numinis* HYDRA,
lib. 1. *Crescere vulneribus quæ solet Hydra suis.*
.4. *Vellatur sterili lolium quod nascitur agro,*
tth.13. *Non etiam culto fertilis herba solo.*
Sed cur mixta malis ardent innoxia, & vno
Mixta bonis crepitant noxia sæpè foco?
Cum pulchris adeò non est concordia Musis,
Et Veneris fœdo páxque quiésque viro.
Vt taceam iniectas in mœsta cadauera dextras,
Bernar. *Non minus in viuos quæ libuêre licent.*
m. 66. Cantica *Vi publicam, non more sinunt, impunè geri Rem,*
Clausa quasi indicto sint fora iustitio.
Dum Latia pacem, materna prælia lingua
Poscimus, & Superis irrita vota damus:
Quippe exaudiri Superis licet vsque benignis
Vtraque cùm nequeant, audiet vtra DEVS?
Quid mihi tunc animi, cui chartea tota supellex,
Inter eas turbas TV THE *fuisse putas?*
Dũ populatur agrum, miscétque tumultibus vrbem,
Et modico muros iam minus hostis habet:
Dúmque minus modico differret ab hostibus hospes,
(Hospes enim nihilo mitior hoste fuit)
Quid me acies inter medias hostésque futurum,
Tot mala quem circum, tótque pericla fremunt?

Mî lupus à tergo est, præceps à fronte periclum,
Nec fuga, nec ratio mî patet vlla fugæ.
Nec me tempestas vel abire, vel atra manere
(Tutus ab hac valeat quis locus esse?) sinit.
Quæ regio nostri non est hîc plena laboris?
Nostra quis in regno non mala vicus habet?
Vrbe morer? quæ non vrbis pars peste laborat?
Rusticer? ecqua malo milite rura vacant?
Rure domíque sacris mala tempora fallo libellis,
Ire iubens in rem bella prophana malam.
Qualiacunque meo meditor solatia cordi
Solus, & hoc mecum carmen ineptus ago:
Si toties moreris, quis te malus abstulit error,
Esse mori, quando desinis ipse mori?
Si nisi seposito non viuis corpore, si mens
Non minus amissa carne superstes erit:
Cur tibi tam miseræ vetus ô nimis incola terræ, Psal. 11
Tam grauis in fragili sarcina vase placet?
Quin gemere vt tandem sublato pondere cesses
Non magis effracto carcere liber abis?
Vita (nephas) ægris est cum mortalibus esse,
Et cum immortali mors erit esse Deo?
Particula humanus diuinæ spiritus auræ est,
Cœlicus est animis, spiritibúsque vigor.
Est animis, est spiritibus cœlestis origo,
Sunt sublime, sagax, æthereúmque genus,

Mẽbra quid his aliud quàm ergaſtula, quid niſi carcer
Eſt caro, & anguſtum mundus hic exilium?
Adde cathenatos moribundi corporis artus,
Queis velut in pedicis, compedibúſque iacet.
Quis me infœlicem manicis Deus explicet iſtis?
Exoluat miſero vincla quis iſta mihi?
Quis dabit vt ruptis mens auolet iſta cathenis,
Et valeam tetro ſaluus abire lacu?
Viuere tam defecta diu, nec viuere membra,
Sæpius iſta mori, nec ſemel iſta mori?
Méne tenebroſo ſquallere in carcere ſeruum
Semper, & aſſiduo conſenuiſſe ſitu?
Ah melius, quod in hac circunfero mole, cadauer
In ſibi cognata vile iaceret humo.
Spiritus ah melius cognata reuiſeret aſtra,
Ad Dominúmque redux, artificémque ſuum.
Sol vbi non æſtu, nec adurit frigore pernox
Luna, ſed eſt conſtans, & ſine nocte dies.
Cernere vbi eſt ſine nocte diem, ſine veſpere ſolem,
Et ſuperum pulſa fulgere nube iubar.
Frigida non pugnant calidis, non humida ſiccis,
Non malè cum duris mollia conueniunt.
Non malè concordes luctantur in aëre venti,
Perpetuo Zephyri ſed magè vere fauent.
Noxius æſtiuis non ardet Sirius agris,
Non riget hyberno bruma niuoſa gelu.

l.141.
n.7.
54.

terget
us om-
achry-
ab ocu
orũ, &
ſuriẽt,
que ſi-
t am-
s, neq;
et ſup
s ſol,
æſtus
is.
.25.49.
c.7.21

Grandǫ la certosis non est inuisa colonis,
Non nocet illa satis, non nocet illa mero.
Non mouet obliquas damnosa calumnia lites,
Iura nec arguto iactat iniqua foro.
Nemo vel igne perit, turpes vel in aëre furcas,
Vel subit horrendæ probra nephanda crucis.
Non mare, non terras armis Bellona fatigat,
Nullus ab instanti mœnibus hoste pauor.
Nullus ab infesto metuit latrone viator,
Nullus ad hostiles excubat insidias.
Aequoris insanis non vapulat vnda procellis,
Non timet iratas nauita mœstus aquas.
Nec virosa legunt iniustæ aconita nouercæ,
Nec miscent magicis atra venena sonis.
Venter iners auida non interpellat orexi,
Non aret nimia guttur inane siti.
Nemo vel admiscet pellendis pocula morbis,
Vulnera vel medica tractat hiulca manu.
Non deformat edax humana cadauera piscis,
Nec fit homo hirsutis præda cibúsque feris.
Non prurigo moræ impatiens, non lurida lepra,
Inque hominum morbus non abit ora sacer.
Non putre tabifico respergitur vlcere corpus,
Nec sordet fluida tabe peresa caro.
Peste nec aëria, nec febribus vrit anhelis,
Viscera non alius conficit ima dolor.

Exanguem macies non atterit ægra ſenectam,
Non arat effœtas ruga ſenilis anus.
Sed nulla ſenij formidine viuitur æuum
Perpes, & æterno flore iuuenta viret.
Non animi aut error fanaticus occupat arcem,
Inficit aut mentes hæreſis vlla pias.
Sed næ ſtultus ego, qui labilis omnia mundi
Damna velim paucis texere verſiculis.
Non magis innumeræ Libyæ ſitientis arenæ,
Nec folia hyberno ſydere plura cadunt.
Non moritur, qui vel patitur tam indigna, facitve?
Non vacua his verè eſt vita beata malis?
Hæc euadit enim mortis niſi munere nemo,
Nil & ad oppoſitas, mors niſi, ducit opes.
Vita via ad mortem, mors non obnoxia morti,
Eſt homini ad vitam non niſi morte via.
Neu pereat ſemper, pereat ſemel ipſe neceſſe eſt:
Semper enim moritur, ni ſemel emoritur.
Viuentes morimur, morientes viuimus: & mors
Omnibus æqua, mori non niſi morte poteſt.
Denique victurus, ceſſet niſi viuere, nemo eſt,
Morte niſi ad vitam nec rediturus homo.
Scilicet hæc breuibus numeris vtcunque referre
Quàm leue, ferre Deo tam niſi dante graue eſt.
or. 15. *Cuius vbi in nobis erit omnibus omnia* CHRISTVS,
Incolumes animos corpora ſana manent.

Cùm

Cùm dederit limo domus hæc compacta ruinam, 2.Cor.5.
Nos manet haud nostra Regia structa manu. Hebr.13.
Cùm meditaretur curarum Musa mearum
Conscia flebilibus talia versiculis,
Ecce acies inter medias, differtáque morbis
Tecta colens, CHRISTI *munere sospes eram.*
Sospes erã ANGELICA *(si quis modò sospes ab herba*
Esse adeò cœlo dira minante potest)
Quam mihi Pißiaco misit MARQVOESIS *ab horto,*
ANGELICOS *inter viuere digna choros.*
Sed valeant illic quotquot sine labe sorores
Perpetua CHRISTVM *virginitate colunt:*
Et valeat profugas Antistita MARGARIS *agnas*
Colligere, ac reliquo consociare gregi.
Hæc erat euentus radix præsaga futuri,
Quicquid rure meum, quicquid in vrbe foret,
Seruandũ ANGELICIS, *firmo velut aggere, castris,* Psal.33.
Et cœli eximia nostra tuentis ope.
Multa quidem audiui, multa ipse miserrima vidi:
Nulla tamen CHRISTO *pars miserente fui.*
Quod solet, absentes multò insectata latratu,
Præsentem verita est rodere turba canum.
Zelus iners viuis, & iniquus lumine caßis,
Esse domi tutos méque, meósque dedit.
Me malè nõ meritũ, modicúmque LVTETIA *ciuem,*
Et mea, materno protegit vsque sinu.

Hinc mihi cum mutis est bibliotheca magistris,
Est mihi cum tota recula salua domo.
Cúmque lues vrbi, toti vis Martia regno
l. 139. *Ingrueret, texit vis mihi dia caput.*
Nulla meis labem dedit hîc contagio tectis,
Mens vtinam in sano corpore sana siet.
Nunc æterne DEVS, *trinum tibi numen, & vnum,*
Dicere quas grates, quás ve referre parem?
In DOMINI *seruus quas nouit inutilis æde*
Non opis esse suæ reddere, semper aget.
Summe PATER *pulso ciuilem auerte tumultum*
Schismate, quò NATVS *regnet in orbe tuus.*
Si natura facit, si gens, si patria fratres,
August. *Communísque iubet lustricus esse latex:*
collatio *Si nos progenuit* SPONSAE *Pater agnitus vni,*
3. diei Donatis cap. *Quin* SPONSAE *vniuiræ pignora vtrique sumus?*
lib. post *Qui Patris vnius eadem prece nomen adorant,*
lationē *Cur eodem mater non alit vna sinu?*
35. lib. *Patribus ad Synodum pro relligione coactis*
pastor. *Suggere promissum* SPIRITVS *auxilium.*
13.
m. sup *Corda fac vnanimes, iungant & pectora ciues,*
tis cū *Dispersúmque reduc in tua septa gregem.*
erito scopo. *Missa fac errantes redeant in ouilia, & æui*
In prisca reliquum relligione colant.
Vana superstitio, morum corruptor abusus,
Hæresis, & toto schisma sit orbe procul.

Id fuerit, caulas aulis si pastor omißis,
Plebs canam repetat relligiosa fidem:
Si canibus sanctas aditus claudatur ad aras,
Si peda non asini, mulotribæque gerant:
Nec diuina vorent ignaui aluearia fuci,
Nec licitetur emax munera sacra Simon.
Cætera quis nescit? fœlicem scilicet optes
Sortiri euentum principio orsa malo.
Iudice sæpè malo plebs peior, vtroque sacerdos,
Nil melior monachus, peßima nobilitas.
In foueam cæcus cæco duce labitur vnam,
Cúmque suo pereunt vpilione greges.
Et meliora quidem nobis optanda: quis autem
Scribendum, quicquid contigit, esse neget?
Claude tamen riuos saturis Elegeia pratis,
Nunc Elegos statui scribere, non Satyros.
Túque odij expertus toties VERVM *esse parentem,*
De tabula tandem tolle Poëta manum.
Hic mihi post nullos Præses memorande patronos
Viue, vale, & Musis perge fauere meis.

Viño Antoni Hist. T partit. cap. 5. zomen 6. ca Nicep h li. 10. c. Act. 8.

Matth. 1 Hieron ad Gau dentiun

CONFESSIO DE CORPORIS ET SANGVINIS Dominici in sacrosancto EVCHARISTIAE sacramẽto veritate, olim iam carmine expressa, nũc primùm edita, per eundem CL. ESPENC.

atth. 26. *O Sacra, quæ Christi referunt conuiuia*
corpus,
arc.14. *Et faciunt sanctæ nos meminisse*
crucis!
ic.22. *Quæ recolunt cœnam supremæ noctis,* IESVS
Cor.11. *Quando cibum manibus se dedit ipse suis!*
od. 16. *Sanctificum panem, & cœlestia crustula signat*
um.11. *Quod Deus extortum murmure Manna dedit.*
chem.9. *Pane beatorum fruitur conuiua viator,*
pien.16. *Pascitur angelico pane sodalis homo.*
alm. 77. *Sunt Superûm humanis indulta viatica, tali*
3.& 104 *Se Deus, atque homines nectare lætificant.*
dic.9.
an.6. *Hac anima ambrosia, digno bene conscia ritu*
Vescitur, æternos viuere certa dies.
enes.14. *Signat idem quod tu vinum cum pane litasti,*
Presbyter excelsi Melchisedeche Dei.
al.80. *Israëligenas hoc pane cibauit eremus,*
ene.49. *Delitias eadem Regibus esca dedit.*

Agnus hic est, Pharium cuius nece mysticus hostem Exo.1
Liber Erythræis mersit Hebræus aquis. 1.Co
Ille saginatus vitulus, quem fratre recepto Lu
Mactatum senior filius esse dolet:
Cuius alit populum corpus, satiátque fidelem,
Non sine Iudaica nos cruor inuidia.
Miscuit hoc vinum, missis Sapientia seruis Prou
Dicere conuiuæ, Mensa parata tibi est.
Dicere conuiuis, Agni sponsæque iubetur, Matt
Regius ad festum seruus adeste diem. Luc.1
Magnificus proprio nos symposiarcha vocatos Apoc
Conuiuas recreat sanguine, carne cibat. Ioan.
Corporis est Christi communio, fractio panis, 1.Co.
Sanguinis est Christi, cui benedico, calix.
Vnus enim panis sumus, vnum Ecclesia corpus,
Panis participes vnius, & calicis.
Dæmonis & Domini calicis, nec possumus esse
Participes mensæ dæmonis & Domini.
Margaris est pedibus non proculcanda suillis, Matt
Gemma nec impuro proiicienda cani.
Hic bibitur, cuius prohibet lex sanguinis esum, Leui
Sanguis hic est verè potus, & esca caro. Deu
Ioan
Hic nos ergo calix præclarus inebriet, hæc nos Psal.
Seruet in hostiles mensa parata dolos.

ÆNIGME.

DIFFICILE eſt d'auiſer promptement
Ce que ie ſuis, ie vous diray comment,
Car ie fus grand ſans auoir pris croiſſance,
Et ſi ſuis mort ſans auoir eu naiſſance.
Sçauant ie fus ſans qu'homme m'eut appris,
Plus excellent que tous humains eſprits.
I'ay commandé ſus la terre & la mer,
Et ſi ay peu les cieux clorre & fermer,
Meſme d'iceux l'ouuerture ie porte.
A tous humains ioye & douleur i'apporte,
Leſquelz ſans moy ne pourroient auoir vie,
Et ſi par moy elle leur eſt rauie.
I'ay eu du bien & quelque paſſe-temps,
Mais i'ay ploré longue eſpace de temps,
Aiant perdu le threſor precieux
Qui eſlargi m'auoit eſté des cieux;
Et puis apres par vne fin amere
Retourné ſuis au ventre de ma mere.

A. M. fecit.

AENIGMA.

DIfficile aspectu est quid sit comprendere primo,
Quámque sit id dictu, dixero, difficile.
Corpore grandis eram, sed nullo corporis auctu,
Mortem obij, nullo sed genitore satus.
Nullam humana meæ menti schola contulit artem,
Me tamen haud sapuit doctius alter homo.
Infera sunt regnata mihi terraque maríque,
Et potui superos idem operire polos.
Et gero, quem penes est illos aperire potestas.
Lætitiam cunctis, tristitiámque tuli.
Nam quorum sine me vitales carperet auras
Nemo, prius rapui quàm miser ipse dedi.
Tempore magna mihi modico est exacta voluptas:
Plus multo lachrymis nocte diéque datum.
Cùm periit misera mihi merx preciosa ruina,
Quam dederat larga gratia dia manu.
Tandem vbi sum vitæ finem sortitus amarum,
Me reducem matris scilicet aluus habet.

C. D. vertit.